



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Narcissus Episc. 29. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

29. Octob. VITÆ SANCTORUM. 677  
cum ilicò omnem inusitatâ luce comple-  
vit, mox aspectu suo Abagarum à morbo  
recreavit, tactu verò perfanavit etiam. In  
sacris undis cum omni aulâ suâ ablutus  
imaginem conspicuo loco venerandam  
proposuit, ipse epigraphen, literis auro li-  
ventibus, in hunc sensum adjecit: *Spes  
nulli unquam imponit, quam qui in te Chri-  
ste ponit.* Rectè, ais, Dei effigiem in hono-  
re Abagarus habuit. Tecum sentio. Sed  
nego illos hodie rectè facere, qui vivos  
Dei vultus, animos inquam, perturbare  
per summam injuriam non verentur. *Ex  
Constant. Porphy. Hieron.*

*Qui a presenti gaudia sequuntur aterna  
lamenta; hinc vanam letitiam fugite, si illic  
fere formidatis: nemo enim potest & hic  
gaudere cum saculo, & illis regnare cum  
Christo.* S. Greg. 11. homil. in. Evang.

S. NARCISSUS EPISC. 29. Octobris.

**F**Lorere sibi videbatur Hierosolyma,  
cùm NARCISSUM habere Pontifi-  
cem odore virtutis charissimum patriæ  
& acceptissimum. Sed ex tam pulchro flo-  
re pessima aranea invidia venenum sibi  
suxit. Terni & ex mendaciis compositi  
cives innocentiam conspirarunt, & san-  
ctissimam viri famam scœdissimi crimi-  
nis delatione contaminare sunt aggressi;  
utque ruitura mendacia perjurio falci-  
rent, si fallerent, pœnas ipsi sibi iudices  
rel dicarunt, & primus ignes, alter mor-  
bum



678 VITÆ SANCTORUM. 29. *Octob.*  
bum fœdum, ultimus oculorum orbita-  
tem imprecatus est, omnes à Calitibus  
non surdis audiendi. Etenim etsi perfidie  
etiam jurata nemo crederet, testis que ma-  
ximus & unus omnium instar *Narcissi*  
ipse esset *Narcissus*; execratus tamen  
hic vel suspicionem facinoris subduxit se,  
& silvarum exilio innocentem se damna-  
vit. Mox tamen aliam in adversarios sen-  
tentiam cælum pronuntiavit. Primus e-  
nim ille cum omni familiâ igne tectis  
nescio unde illapso exustus facem, ut in-  
nocentia pateret urbi, accendit. Alter  
horrido morbo obsessus, uti à capite ad  
calcem usque sancti nihil, ita nihil sani  
habuit. Interea dum vindicem *Deum*  
tuentur, timuere sibi aculi tertii testis,  
& sceleris poenitudine hic ductus, publi-  
câ confessione perfidiam & lacrimis  
damnavit, sed tot ac tantis, quibus o-  
culi effluerent, mitissimâ vindictâ, quod  
simul noxam eluerent. Ita cæli patroci-  
nio defensus muneri suo ac loco est resti-  
tutus, vixitque *Narcissus*, quàm diu nul-  
lus flos alius vivit, c. & vi. annos. *Ex*  
*Euseb. l. 6.*

*In quis es, qui tam improbè, tam mani-  
feste, tam procaciter seruo detrahis alieno?  
noli fratris tui reprehensibilia acta detege-  
re, sed potius edicito tua. Redi ad te; &  
discute te: iudeca te & in statena humi-  
litaris appende. S. Laur. Iustin. de Vit.  
solit. c. 4.*

S. ER.